

**XXIII APRILIS
DE S. GEORGIO, MEGALO-MARTYRE,
LYDDÆ SEV DIOSPOLI IN PALÆSTINA,
ACTA.**

**Ut extant apud Lipomanum & Surium,
Interprete Francisco Zino ex MS. Græco
Veneto, Collata cum
MSS. Vaticano & Florentino.**

EX MSS. GRÆCIS

CAPUT I.

**Persecutio a Diocletiano excitata, Georgii
generosa confessio, primæ diei tormenta.**

[1] Diocletianus Romanorum Imperator, sceptris indigne potitus, & primus eorum, qui sibi cum illo Romanum imperium vindicabant (tres enim erant) cum Augustus declaratus esset Cæsar, omniaque sibi tum adversus hostes, tum in subjectis populis e sententia cedere videret; magno studio, ut sibi quidem videbatur, in eam curam incubuit, ut divinam benevolentiam compararet. [Diocletianus dæmonum cultor præcipuus,] Summam enim pietatem & bonorum omnium finem, in eorum, qui dii vocantur, cultu sitam existimabat. Quamobrem assidua illis & magna sacrificia faciebat: inprimisque Apollinem, ut rerum futurarum peritissimum, venerabatur. Quem cum aliquando de quodam negotio consulisset, ita respondisse ferunt, ut eos, qui in terris justi essent, sibi impedimento esse diceret, quo minus vera prænuntiaret, eorumque causa fieri, ut tripodum vaticinia falsa deprehenderentur. Opinioni igitur errore deceptus miser, scire vehementer cupiebat, quinam illi essent in

terris homines justi. Respondens autem e sacerdotibus quidam: Christiani sunt, inquit, Imperator. Hanc ille responsionem, tamquam escam, devorans, bellum adversus Christianos, quod jam quieverat, rursus excitavit. Statim igitur arma, quæ adversus scelera comparata sunt, in homines innocentes exerceri, & in omnes provincias edicta cædis plena mitti cœperunt. Videre licebat carceres, adulteris, & sicariis & flagitiosis hominibus vacuos; eorum autem, qui Christum Deum ac Salvatorem faterentur, plenos. Videre licebat, veteribus & usitatis cruciatuum generibus, [sævit in Christianos,] tamquam levioribus, repudiatis, graviora quædam excogitari, quibus plurimi quotidie Christiani passim afficiebantur.

[2] Cum autem ad Tyrannum variæ criminum delationes adversus Christianos undique, inprimisque ab Orientis Procuratoribus venissent, quod edicta ipsius contemnerent, qui se Christianos profitebantur, quorum numerus iniri non posset, adeo ut vel in propria religione vivere ipsis permittendum esset, aut bello repente nihil ejusmodi opinantes opprimi deberent; ille, his omnibus auditis, animi celans indignationem, & præse ferens humanitatem. Præfectos omnes ad se, præcipueque totius Orientis Procuratores accersivit. Qui cum celeriter omnes convenissent, [senatu approbante.] Senatu convocato, suam adversus Christianos sævitiam patefaciens Imperator, jussit, ut quid quisque de re proposita sentiret, in medium proferret. Cumque alii aliud dicerent, ad extremum ipse virus evomuit, deorum religione nihil esse præstantius asserens. Cujus sententiam cum alii comprobassent, rursus, Si meam, inquit, benevolentiam magnificitis, quando ita sentitis, studiose operam date, ut Christianorum religionem ex universo imperio meo prorsus expellatis. Quod ut facilius perficere valeatis, ego vobis totis viribus favebo. Omnibus autem approbantibus & collaudantibus, Senatui & ipsi

Diocletiano visum est, ea de re iterum & tertio ad populum referre.

[3] Tunc in exercitu aderat etiam admirabilis Christi miles Georgius, qui in Cappadocia non obscuro loco e Christianis parentibus natus, in vera pietate jam inde ab ipsa pueritia fuerat institutus. Hic cum ad pubertatem nondum pervenisset, patrem in certamine pietatis egregie pugnans amisit, e Cappadociaque cum matre in Palæstinam, unde erat oriunda, se contulit: ubi multæ illi possessiones & ingens erat hæreditas. [S. Georgius Tribunus militum & Comes,] Ob generis igitur nobilitatem, cum jam & corporis pulchritudine & ætate ad militiam aptus esset, Tribunus militum est constitutus. Quo quidem in munere cum virtutem suam in bellicis certaminibus, seque strenuum militem ostendisset, Comes a Diocletiano constitutus est, antequam Christianus esse cognosceretur. Cum autem eo tempore mater e vita discessisset, majoris cupidus dignitatis, maximam e divitiis sibi relictis partem accepit, & ad Imperatorem profectus est. Tunc autem vigesimum ætatis annum impleverat.

[4] Cum igitur primo statim die tantam in Christianos crudelitatem animadvertisset, [omnia sua dat pauperibus,] & Senatusconsultum mutari non posse, opportunum ad salutem tempus illud existimans, omnem pecuniam & vestem celeriter pauperibus distribuit, servosque præsentis libertate donavit, deque absentibus, quod sibi videbatur, constituit: & tertio concilii die, quo Senatus decretum confirmandum erat, & Principum crudelitatis auctorum sententiæ comprobandæ aut refellendæ; ipse, omni formidine humana rejecta & solum Dei timorem in animo conservans, hilari facie & mente tranquilla in medio consessu stetit, & ad hunc locutus est modum: Quousque tandem, [per orat pro Christianis,] o Imperator & Patres conscripti & Quirites, bonis uti legibus soliti, furorem vestrum in Christianos

augebitis, legesque adversum illos iniquas sancietis, & homines innocentes persequemini? & ad eam, quæ vos, an vera sit, ignoratis, religionem eos, qui veram didicere, compelletis? Hæc idola non sunt dei, non sunt, inquam, dei. Nolite per errorem falli. Christus solus est Deus, idemque solus Dominus in gloria Dei patris. Per ipsum facta sunt omnia, & Spiritu sancto ejus omnia reguntur & conservantur. Aut igitur vos item veram agnoscite religionem; aut certe illos, qui eam colunt, nolite dementia vestra perturbare.

[5] His verbis attoniti, & inopinata dicendi libertate percussi, oculos ad Imperatorem omnes converterunt, audituri, [fidem Christi confitetur,] quidnam is ad ea responderet. Imperator autem, tamquam perstrictis tonitru auribus, iracundiæ impetum in se cohibens, Magnentio cuidam ex considentibus amico, qui tunc erat Consul, annuit, ut Georgio responderet. Hic propius ad se illum accersens: Ecquis, inquit, tibi istius audaciæ & magnæ in loquendo libertatis est auctor? Veritas, inquit Georgius. Tum Consul subjecit: Quæ est illa veritas? Respondit Georgius: Christus ipse, quem vos persequimini. Ergo tu quoque, Magnentius inquit, Christianus es? Ego servus sum Christi mei, respondit Georgius: eoque confisus, in medio vestrum ultro constiti, ut veritati testimonium exhiberem. His verbis populo concitato, & aliis alia dicentibus, incertus quidam rumor exaudiebatur, ut fieri in tanta multitudine consuevit.

[6] Tunc Diocletianus, silentio per præcones indicto, cum defixis in sanctum juvenem oculis, eum agnovisset, [Diocletiano blandienti,] sic illum est allocutus: Et olim nobilitatem tuam admiratus, ætatemque honore dignam existimans, te ad majores provexi dignitatis gradus: & nunc, quamvis ad perniciem abutaris dicendi facultate, tamen quia prudentiam & fortitudinem tuam diligo, tibi quæ utilia sunt, consulo tamquam pater, hortorque te, ne

rei militaris commoda deseras, neve ætatis florem contumacia tua cruciatibus subicias: sed diis sacrificans, majora a nobis expectes præmia, qui pietatem tuam remunerabimus. Sanctus autem Georgius respondit: [præclare respondet.] Utinam potius tu ipse, Imperator, per me verum Deum agnoscens, ei sacrificium laudis ab ipso quæsitum offerres: præstantiori enim atque immortalis te regno donaret. Siquidem illud, quo nunc potiris, cum sit caducum & fragile, celeriter corrumpitur atque dilabatur. Quamobrem & ea quæ ex ipso proveniunt, cum sint fugacia, nihil possidentibus prosunt. Itaque nullum ex iis meam in Deum meum pietatem labefactare, nullum cruciatuum genus timorem illius ab animo meo excutere poterit, aut mortis formidinem injicere. Hæc vir sanctus dum loquitur, Imperator totus ira percitus, nec permittens, ut faceret dicendi finem, satellitibus jubet, ut eum e Concilio hastis expulsum, in carcerem conjiciant. Celeriter illi faciunt imperata: sed cuspis, quæ viri sancti corpus attigit, instar plumbi reflectitur, & os martyris laudibus personat.

[7] In carcerem igitur deductum, humi prosternunt, compedibus vinciunt, & ejus pectori lapidem ingentem imponunt: [In carcerem conjectus, dire affligitur:] utrumque enim Tyrannus imperaverat. At vir sanctus id patienter ferens, Deo non destitit usque ad sequentem diem gratias agere. Cum enim dies illuxisset, rursus eum Imperator ad quæstionem vocavit. Et cum videret illum lapidis pondere defatigatum: Resipuistine, inquit, Georgi, an adhuc in errore permanes obstinatus? Cui graviter vir sanctus respondens: Adeone, inquit, Imperator, ignavum me putas evasisse, ut tam parvo ac puerili supplicio a religione deficerem, & pietatem abnegarem? Prius ipse torquendo defatigaberis, quam ego tortus. Ego te, inquit Diocletianus, suppliciis ita puerilibus afficiam, ut tibi celeriter vitam eripiant. Jubet igitur rotam prægrandem afferri, mucronibus undique præfixam, ad eamque virum

sanctum alligari, paratisque in ea gladiis dilacerari. Pendebat in aëre rota, inferius autem aderant tabulæ, in quibus densissima erant spicula præfixa, gladiis similia, partim rectas habentia cuspides, partim aduncas ad hamorum similitudinem, partim cultros coriarios imitantia. Cum igitur rota per gyrum tabulis appropinquaret, & vir sanctus, [per rotam laceratus,] tamquam agnus, tenuioribus loris & funiculis ita constrictis, ut intra carnem absconditi inhærent, vinctus esset; & per gladios, volvente rota, transire cogeretur, acutissima eorum acie corpus exceptum dilaniabatur, & scorpium more contortum dissecabatur. Hoc ille supplicii genus strenuus perferens: primum quidem magna voce precabatur, deinde secum ipse tacite gratias agebat Deo, nec suspirium quidem ullum edebat. Mox bonum temporis spatium, tamquam dormiens, conquievit.

[8] [divinitus sanatur:] Diocletianus igitur eum mortuum existimans, lætus deosque collaudans: Ubi est, inquit, Deus tuus, Georgi? Cur te ex hoc ludicro supplicio non liberavit? Cum autem jussisset eum ab illa machina solui, ipse ad sacrificandum Apollini profectus est. Ceterum magna nube statim exorta, & maximo tonitru erumpente, vox desuper emissa est, quam multi exaudierunt ita disserentem: Ne timeas, Georgi: tecum enim sum. Paulo post autem, qualis numquam antea, serenitas successit: & vir candidis vestimentis indutus, rotæ assistere visus est, qui facie coruscanti manum Martyri porrexit, & ipsum complexus salvere jussit. Nemo autem audebat ad eum propius accedere, neque ex illis, qui illum asservabant, neque ex iis, qui missi fuerant, ut ipsum a rota solverent, quoad is qui apparuerat, ex eorum conspectu discessit. [Imperatori sistitur:] Tunc a machina solutus visus est sanctus Martyr, & præter omnium expectationem incolumis constitit, & Deo gratias agebat ac Dominum invocabat.

[9] His perspectis, milites ingenti stupore correpti, rem Imperatori, adhuc in templo sacrificanti, denuntiant, sancto etiam Georgio coram constituto. [Duo Prætores Christum confitentur,] Quem cum adspiceret Imperator, primum quidem ita se rem habere non credebat, & illum Georgium negabat esse; sed alium ei similem esse dicebat, aut ejus certe simulacrum, quod spectatores deluderet. Verum cum accuratius illum contemplantes, qui assistebant, agnovissent, & Martyr ipse se Georgium esse diceret, obmutuerunt. Porro ex adstantibus duo, dignitate Prætoria decorati, quorum unus Anatolius, alter Protoleo vocabatur, cum antea in Christi religione essent initiati, re admirabili conspecta, plenam fidem conceperunt, & sublata voce dixerunt: Unus est Deus magnus & verus Christianorum. Hos igitur confestim Imperator extra civitatem duci, atque indicta causa jubet obtruncari. Multi præterea ad Dominum se converterunt, [Imperatrix credit.] in seipsis fidem continentes, qui libere loqui non audebant. Sed & Imperatrix Alexandra veritatem agnovit quam libere loqui incipientem Consul abduxit, ac priusquam de illa rem intelligeret Imperator, domum dimisit.

ANNOTATA.

Romanum Consulatatum hoc anno 303 gerebant Diocletianus VIII & Maximianus Herculius VII. Quod suos præterea urbes singulæ Consules habuerint, & talis fuerit hic Magnentius, non audemus absque idonea auctoritate statuere: magis propendimus, ut credamus Consulem dici, pro Consulari seu Proconsule, prout 13 Aprilis ad Acta SS. Maximi, Quintiliani & Dadæ factum ostendimus. Si quis autem opinari etiam velit, Magnentium pro Maxentio; Maximiani Herculii filio, positum; poterit dicere, Consulatus titulum, quem tertio ab hinc anno primum accepit, eidem hic per quamdam prolepsim datum.

Eadem in quibus, scilicet occultam veritatem tenentibus, erat etiam Alexandra Imperatrix: quam deinde volentem confidenter profiteri &c.

CAPUT II.

Nova tormenta & miracula, victoria de Athanasio mago.

Hæc Diocletianus indigne a ferens, cum ratione nihil agere posset, jussit sanctum virum, [in calcis foveam demersus S. Georgius,] statim in foveam calcis recens extinctæ coniectum, in tertium usque diem asservari, ne qua ex parte excogitari auxilium posset. Cum igitur vinctus ad ejusmodi supplicium duceretur, magna voce sic precabatur: O conservator afflictorum, o præsidium eorum, qui persecutione vexantur, o spes illorum de quibus nulla est spes, Domine Deus meus, exaudi preces servi tui, & aspice me ac miserere mei. Libera me, Domine, ab insidiis adversarii, & concede mihi ut ad finem usque nominis tui confessionem immutabilem conservem. Ne derelinquas me, Domine, propter iniquitates meas, nequando dicunt inimici mei, Vbi est Deus ejus? Ostende potentiam tuam, & nomen tuum illustra in me inutili servo tuo. Mitte Angelum tuum indignitatis meæ custodem, qui Babylone fornacem in rorem commutasti, & sanctos pueros tuos incolumes conservasti, quoniam benedictus es in secula. Amen. His dictis ac toto corpore Crucis signo munito, in foveam, gaudens & laudans Deum, ingressus est. Ministri autem, qui missi fuerant, omnibus ut jussum erat peractis, reversi sunt.

[11] Diocletianus vero, cum tertius adesset dies, acersitis dixit: Infelicis illius Georgii, quem propter ejus perversitatem & contumaciam in calcis foveam conjecistis, [inde illæsus educitur.] ne monumentum quidem volo sectatoribus ejus extare; ne dum ab illis colitur, gloriosæ insanicæ capti cupiditate, in perniciem

ruant. Ite igitur, & siquid ex miseri illius ossibus adhuc reliuum est, defodite, atque in perpetuum abolete. Hæc milites mandata cum accepissent, quanta potuerunt celeritate profecti sunt, sequente magna populi multitudine, ut quid factum futurumve esset perspicerent. Expurgata igitur calce, intus repertus est vir sanctus, habitu splendido tamquam e convivio veniret: qui manibus in cælum sublatis, Deo pro universis beneficiis ejus agebat gratias. Egresso autem illo, & nullum læsi corporis vestigium circumferente, tam admirabili spectaculo qui convenerant obstupescentes, uno omnes ore Georgii Deum collaudabant, & magnum esse dicebant.

[12] Interea dum morantur milites ac tempus terunt, rumor ad Diocletianum pervenit: qui cum S. Georgium statim accersisset, stupore attonitus, sic eum est allocutus: Aperi nobis, Georgi, unde tibi hæc adsint, & quibus abs te artibus fiant. Arbitror enim te, ad magicæ artis ostentationem, Crucifixi religionem simulare, ut præstigiis ad stuporem omnes adducas, & te magnum ostendas; ac Deum tuum, quisquis est, [Imperatori insultat;] deorum omnium præstantissimum prædices. Ego quidem, respondit vir sanctus, existimabam, Imperator, ne os quidem posse vos aperire in ejus Dei contemptum, qui nulla in re non potens est, & ex hujusmodi angustiis in se sperantes liberat. Verum, quando in tam profundum erroris barathrum, urgente diabolo, decidistis, ut ne illa quidem, quæ vestris oculis cernitis, miracula credatis, sed præstigias appelletis; vestram equidem cæcitatem deploro, ac vos miseros censeo; sed indignos tamen, quibus respondeam, puto. Nunc, inquit Diocletianus, cognoscam, an, nobis cernentibus, res facias admirabiles; & nos, quibus respondeas, indignos putes. Sed vel invitus habebis, qui medeantur tibi. Tunc jubet ferreas crepidas afferri, oblongis clavis præfixas, easque in conspectu suo accensas ardentisque in utrumque ipsius pedem induci,

ipsumque vapulantem usque ad carcerem trahi. Irridensque dicebat, **Quam velox, cursor es, Georgi. At Martyr, cum tam acerbe traheretur & vapularet, secum ipse exultabat: Curre, inquit, Georgi, ut apprehendas. [ferreas ardentes crepidas indutus,] Sic enim curris, ut non incassum. Deinde Deum suum invocans, dicebat: Respice de cælo, Domine, & vide laborem meum, & audi gemitum compediti servi tui: quoniam multiplicati sunt inimici mei, & odio iniquo oderunt me propter nomen tuum. Sed tu ipse sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: & da mihi patientiam usque in finem, ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum. Ita precabatur, dum ad custodiam, in quam conjectus fuit, perveniret, afflictus ex vulneribus, quæ ardentes crepidarum clavi pedibus ejus inusserant.**

[13] **Cum autem totum illum diem ac noctem, quæ subsecuta est, Deo gratias agens transegisset, postridie accitus, in conspectu adstitit Imperatoris, qui juxta publicum theatrum sedebat. [commode incedit,] Aderat & Senatus universus. Sanctum igitur virum Imperator conspicatus ita recte incedentem, ut si ex crepidarum molestia nihil acciperet impedimenti, magna cum admiratione: Quid est, inquit, Georgi? Num ad voluptatem & gratiam crepidæ tibi repertæ sunt? Sane quidem, sanctus Georgius respondit, Imperator. Tunc ait Diocletianus: Audacia deposita, modeste obtempera; & magicis artibus rejectis, accede, ac diis propitiis sacrificia: alioquin multis aliis cruciatibus affectus, hac dulci vita tandem spoliaberis. Quam stulti, Georgius inquit, videmini! qui Dei mei potentiæ præstigiæ nomen imponatis; ejusque præsidia magicis artibus comparantes, ludicras dæmonum, qui a vobis coluntur, fallacias tam impudenter jactetis. Acri voce, trucique adspectu Diocletianus Martyris orationem interpellans, adstantibus imperavit, [in os cæditur, vapulat nervis bubulis.] ut os ejus cæderent: Sic, inquit, doceatur,**

Imperatores non esse contumeliis afficiendos. Deinde jussit, ut nervis bubulis tandiu vapularet, dum caro ejus cum sanguine terræ agglutinaretur.

[14] Cum autem sanctus Martyr ita crudeliter excruciatuſ, nihil hilaritatem vultus immutaret; Imperator admiratione plenus, ad eos, qui proxime aderant, conversus: Equidem, inquit, hæc non virtutis & fortitudinis, sed magicæ artis opera dixerim. Magnentius autem ad eum ait: [Commissus cum mago Athanasio,] Est hoc in loco, Imperator, vir quidam magicæ artis peritissimus, quem si jusseris accersiri, Georgius celeriter victus, oraculis tuis succumbet. Statim igitur accersitus magus, adstitit coram Imperatore. Ad quem Diocletianus: Quæ, inquit, homo iste nefarius egerit, præſentes omnes sciunt: quomodo autem illa perfecerit, vestrum tantum est intelligere. Aut igitur præſtigiis ejus dissolutis, modestum & temperantem hunc nobis redde: aut magicis medicamentis ex hac vita celeriter extrude, ut propriis tandem artibus captus, debitam mortem experiatur. Id enim cum jam statuisssem, vivere tamen adhuc permisi. Athanasio autem (hoc enim illi mago nomen erat) omnia se facturum poſtridie promittente, Imperator virum sanctum in vinculis custodiri jubens, e tribunali descendit. Ipse vero custodiam rursus ingressus, Deum vocabat, dicens: Admirabilis sit misericordia tua, Domine, super me: & dirige gressus meos ad confessionem tui, & perſice cursum meum in fide tua, ut in omnibus laudetur nomen tuum.

[15] Postero autem die, cum Diocletianus in altiori loco pro tribunali sederet, magum adesse jussit. Ille autem præsto fuit, prudentium gravitatem præ se ferens: & medicamenta quædam in testaceis vasculis ostendens, ait Imperatori: Adducatur nunc reus, & sentiet omnino, diis coadjuvantibus, medicamentorum meorum vires. Si enim insanum hunc vis in omnibus, quæ jubes, dicto

audientem efficere, hanc sorbeat potionem. Et pariter proferebat unum medicamenti vasculum. Sin apud tribunal tuum amaram hujus mortem mavis videre, hoc bibat. Et parvulum alterum vasculum demonstrabat. [oblata ab eo veneficia innoxie bibit,] Evestigio S. Georgium adduci jubet Imperator, & adstanti ipsi: Jamjam, inquit, Georgi, magicæ artes tuæ aut omnino dissolventur, aut desinent: ac jubet ipsum per vim sumere paratum pharmacum. Ille autem hauriens ipsum intrepide, nihil ex illo sensit incommodi. Denique nulla rei novitate secuta, gaudens adstabat, dæmonum fraude illusa. At Imperator insaniens, alteram quoque ipsi potionem jussit dari, atque ut biberet cogi. Divus autem Georgius, vi non expectata ac sorbens, eodem modo incolumis auxilio divino & gratia servatus est. Obstupuit autem Imperator pariter cum toto Senatu, sed & ipse Athanasius spectaculo rei. Ac non multo post dixit Martyri: Quousque tandem nos factis tuis ad stuporem adducis? Quandiu nobis verum non fateris; qua scilicet ratione, quæ tibi admota sunt tormenta contempseris, & medicamentorum, quæ in manibus sunt, injuriam effugeris? Agedum pande nobis omnia, clementer auditis.

[16] [& Christi potentiam prædicat:] Tunc S. Georgius respondebat: Ne nos existimes, Imperator, humanis servari consiliis, sed Christi invocatione, ejusque potentia: quibus etiam freti, cruciatus nihili facimus, juxta arcanam illius disciplinam. Diocletianus autem: Quænam, est, inquit, ist hæc Christi tui disciplina? Divus Georgius respondit: Cum provideret vestram in pejus diligentiam, suos ille domesticos confirmans instituit, ne timerent eos qui corpus occidunt, & supervacanea ne curarent: Capillus, inquiens, de capite vestro non peribit: & quamvis mortiferum quid biberitis, vobis non nocebit. Denique ausculta, o Imperator: hæc est vera ejus promissio, ut breviter declarem: Qui in me crediderit, opera, quæ ego

facio, & ipse faciet. [Matt. 10, 28, Luc. 21, 18, Mar. 16, 18, Ioan. 14, 12] Diocletianus, Quæ autem, inquit, vos opera ejus esse dicitis? Divus Georgius respondit, Cæcos illuminare, leprosos curare, claudos dirigere, surdis aures aperire, spiritus ejicere, mortuos in vitam revocare, atque his similia. Conversus ad Athanasium Imperator: Tu, inquit, quid dicis ad hæc? [ad mortuum suscitandum provocatus,] Respondit Athanasius: Miror quomodo hic mansuetudinem tuam mendaciis refellens, fallere imperium tuum sibi posse persuadeat. Nam multa quidem beneficia a diis immortalibus quotidie consequimur, & ipsorum bonitate multis bonis fruimur: sed mortuos ad vitam revocari hoc tempore nequaquam vidimus: hic autem mortali fidens homini, & Crucifixum Deum colens, maximorum signorum impudenter ipsi testis est. Verum quando coram nobis omnibus fatetur Deum suum talia fecisse, & veram ejus promissionem experiri sperantes in eum, ac quæcunque ipse fecerit, eos quoque facturos; mortuum ipse excitet coram te, & tunc nos quoque illius Deum, ut magnipotentem, venerabimur. Ecce igitur mortuus in arca ex adverso posita, quem ego noveram, paulo ante sepultus est. Hunc si Georgius excitaverit, revera vicerit.

[17] [non detrectat, sed Deo fretus,] Admiratus Imperator consilium Athanasii, id ut tentaret, annuit. Erat autem arca magna, e regione stans tribunalis, dimidii stadii intervallo. Tunc Magnentius assistens Imperatori, petiit divum Georgium, quibus adstringebatur, vinculis relaxari: & ad ipsum: Nunc, inquit, Dei tu mirabilia opera ostende, & nos cunctos ipsi per fidem conciliabis. S. Georgius: Consute, inquit, Deus, qui de nihilo creavit omnia, nec impotens est per me mortuum hunc suscitare. Sed mentibus vestris per errorem deceptis, quid verum sit, intelligere non potestis. Tamen propter adstantem populum id, quod tentandi gratia petitis, per me Deus efficiet, ne hoc quoque magiæ ascribatis. Ecce enim in

vestro omnium conspectu magus, quem adduxistis, nec incantatione ulla, nec cujusquam deorum vestrorum potentia hoc fieri posse, vere confessus est. Sub oculis igitur & auribus omnium vestrum circumstantium, Deum meum invoco. [fuis precibus rem peragit:] Cum hoc dixisset, genibus flexis, propemodum lacrymans Deum rogabat; & surgens, voce magna sic precatus est: O æternæ Deus, Deus misericordiæ, Deus omnium virium, atque omnia potens, qui spes in te sperantium non confundis; Domine Jesu Christe, exaudi me miserum servum tuum in hora hac, qui sanctos Apostolos tuos in omni loco & in omnibus prodigiis & signis exaudisti: & da huic generationi malæ signum ab ea petatum, & suscita mortuum in urna positum, in confusionem non colentium te, in gloriam tuam, & Patris, & Spiritus sancti. Obsecro, Domine, demonstra iis, qui circumstant, te esse Deum solum altissimum super universam terram, & ipsi cognoscant te esse Dominum potentem, & tuo nutui omnia subjacere, & tuam esse gloriam in æternum. Amen. Et Amen ab eo prolato, sonus factus est magnus, adeo ut contremuerint omnes. Tum relecto loculo, atque humi tegumento lapso, resurgens mortuus, cunctis videntibus de urna exilivit.

[18] Statim igitur exorto populi tumultu, plerisque plaudentibus & Christum summum Deum extollentibus, Imperator ejusque familiares obstupescentes & incredulitatis pleni, primum quidem adhuc magum esse Georgium dicebant, & spiritum introducere in fraudem spectatorum. [quo viso convertitur magus,] Ut vero eum, qui a mortuis resurrexerat, hominem vere agnoverunt Christum invocantem, accurrentemque ad divum Georgium, atque ipsi adhærentem, prorsus consilii inopes obmutuere. Athanasius autem accurrens, ad sancti pedes procidit, Christum clara voce vocans Deum omnipotentem; ac Martyrem obsecrans pro seipso, ut sibi eorum, quæ per ignorantiam commisisset, veniam deprecaretur. At

longo post temporis spatio Diocletianus silentium populo indicens, ita locutus est: Videtis fraudem, viri? Cernitis horum malitiam præstigiatorum? Pessimus hic Athanasius, sui simillimo & ejusdem artis studioso occulte favens, pharmaca, quæ nobis pollicitus est, non propinavit; sed potius incantamentorum vim habentia, ad nosipsos decipiendos. Quocirca Georgius illis offensus minime est: quin potius impudentior factus, mortuum se suscitaturum pollicitus est: quem ipsi fictæ mortis specie defunctum, ad pravi consilii sui exitum excitare finxerunt.

[19] [& capite plectitur.] His dictis, tyrannus ilico Athanasium jubet, una cum eo qui revixerat, indicta causa, securibus cædi, ut qui clara voce Christum Deum solum prædicassent: sanctum vero Martyrem Georgium carceri inclusum, in vinculis esse, donec a muneribus publicis vacans, quid de illo faciendum sit, deliberet. Hisque constitutis, in regiam se recepit. Sanctus autem Georgius carcerem ingressus, spiritu exultabat, & gratiarum actione Deum prosequebatur: Gloria, inquit, tibi Domine, qui non confundis sperantes in te. Gratias tibi ago, quod mihi adjutor ubique extitisti, quod majoribus me quotidie beneficiis afficis, & indignitatem meam exornas. Dignum me fac, Deus, Deus meus, qui celeriter videam gloriam tuam, diabolo tandem confuso.

ANNOTATA.

Oportet tribunal positum fuisse, vel in porta civitatis, unde conspectus erat in pomærium; vel extra urbem ad publicum theatrum, uti mox infra dicitur: nec enim moris erat Romanis aut Græcis intra urbes sepelire mortuos.

CAPUT III.

Extrema S. Georgii de tyranno victoria.

[20] Dvm autem ipse esset in carcere, quicumque Christi fidem imbiberant, [Curato post alios ægros,] propter ea quæ peracta erant, ad ipsum profecti, tradita custodibus pecunia, ad ejus procidebant pedes, & apud eum manebant: ex quibus multi etiam ægrotantes, per Christi signum & nomen ab eo curati sunt. Inter quos etiam vir quidam, Glycerius nomine, privata fortuna, arans, altero ex bobus (ut sæpe contingit) humi collapsus & abjecto, & tantum non expirante, posteaquam de sancti viri fama a quibusdam didicit, currens in carcerem, bovis jacturam deplorabat. Tandem arridens huic S. Georgius: Abi, inquit, lætus: [moribundo bove Glycerii,] Christus enim meus bovem tuum ad vitam revocavit. Ille autem verbis credens & currens, invenit, sicut dixerat ei vir sanctus. Mox vero, ne paululum quidem moratus, reversus est; & ad Martyrem accurrens, per civitatem voce magna clamabat: Magnus est certe Deus Christianorum. Comprehendentes igitur ipsum milites quidam, qui ipsi forte occurrerant, per satellites rem Imperatori nuntiavere. Is autem furore plenus, & ne ipsum quidem aspiciens, nec dignum quem interrogaret existimans, gladio obtruncari extra urbem jussit. Hic ergo Glycerius gaudens, & tamquam ad convivum aliquod vocatus, currebat ante milites a quibus ducebatur, [denuo accusatur Sanctus:] & magna voce Dominum invocabat, orans, ut martyrium sibi baptismatis loco poneretur: atque ita vitam finivit. Tunc quidam e Senatoribus apud Imperatorem sanctum Georgium accusabant, quod in carcere sedens, fama populum commoveret; multosque a diis abducens, ostentis magicis Deo adjungeret crucifixo. Itaque ad quæstionem rursus ducendum videri, & si resipisceret, absolvendum; sin in eadem permaneret insania, e vita tollendum.

[21] Imperator igitur, adhibito in consilium Magnentio, jussit in diem posterum juxta Apollinis templum tribunal sibi parari, [qui confirmatus a Christo,] ut publice de

Sancto quæstionem haberet. Nocte autem illa orans Martyr in carcere, ac paulum obdormiscens, vidit in somnis Dominum, propria manu se sublevantem & amplectentem, & corona capiti suo imposita dicentem: Ne time, sed bono animo esto. Ecce enim jam dignus factus es, qui mecum regnes. Ne igitur tardaveris, sed propere ad me veniens, paratis fruere. Experrectus autem, & gratias Deo alacrius agens, carceris custodem ad se vocavit, ipsumque rogabat: Hoc, inquires, unum abs te, frater, peto: concede, ut puer meus ad me ingrediatur: habeo enim, ipsi quod dicam. Annuente autem custode, ingressus est puer, qui extra carcerem expectabat, & dominum suum in vinculis veneratus, flens humi jacebat. Sed Sanctus illum erigens lacrymantem, ut bono animo esset, hortatus est, visaque nuntiavit: Celeriter, inquires, me, fili, Dominus meus vocabit. Postquam igitur ex hac vita migravero, [rebus suis disponit.] accepto hoc meo misero corpore, quemadmodum ante discessum meum statui, itineris tui duce Domino, domum, quam habitare soliti sumus, prope Palæstinam, contende: omnibusque peractis, quæ ibi præscripta sunt, Dei timorem habeto, a Christi fide non deficiens. Illo vero promittente, [& blanditiis sollicitatus,] non sine magna vi lacrymarum, se Deo adjuvante studiose omnia curaturum, vir sanctus illum amplexatus dimisit.

[22] Atque postero die sedens Diocletianus in tribunali sibi parato, in ipso solis ortu Martyrem ad se venire jussit; iramque compescens, cœpit omni cum mansuetudine eum sic alloqui: Nonne tibi videor, Georgi, maxima humanitate & amore plenus esse, qui erga te tam mitis sim? Nam mihi dii omnes testes sint, ut me valde tuæ tædet adolescentiæ, tum propter florem pulchritudinis tuæ, tum propter prudentiæ gravitatem animique constantiam. [illudit Imperatori,] Ac volebam quidem, si resipuisses, ut mecum pariter habitares, & secundas a nobis obtineres. Dic igitur nobis; ad hæc tu quoque quid sentias, S.

Georgius. Oportebat, inquit Imperator, hoc tuo erga nos studio declarato, non tam multa in nos per iracundiam mala facere. Hæc ille verba libenter audiens, subjecit: Si velles mihi, ut patri, amanter obsequi, omnes istos, quos pertulisti, cruciatus maximis honoribus compensarem. S. Georgius: Si vis, inquit, posthac in templum ingrediamur, deos, qui a vobis coluntur, aspecturi. Ilico igitur Imperator exurgens magna cum lætitia, Senatui & omni populo per præconem edicit, ut in templum eant. Simul vero extollebat populus Imperatorem, & diis suis victoriam, dum iter in templum faceret, ascribebat. Ubi vero omnes ingressi sunt, indicto silentio & sacrificio jam parato, intuebantur omnes Martyrem, sperantes proculdubio ipsum sacrificaturum. Ipse autem ad Apollinis statuam accedens, extensa manu; Ecquid, inquit, a me sacrificium vis suscipere ut Deus? Atque eodem tempore signum Crucis expressit. Dæmon vero statuam inhabitans, hujusmodi vocem emisit: [cum insigni dæmonis confusione.] Non sum Deus, non sum; sed neque mei similium quisquam. Unus est Deus solus, quem prædicas: nos autem ex Angelis ipsi ministrantibus apostatæ facti, ob invidiam homines decipimus. Tum Sanctus respondit: Quo pacto igitur hic manere audetis, me cultore veri Dei præsentem? Atque, hoc dicto, sonus quidam ac fremitus luctui similis ex statuâ emittebatur: omnes autem simul ad terram lapsæ, contritæ sunt. Tunc conversi quidam de populo, tamquam furore concitati, sacerdotibus incitantibus, correptum sanctum virum vinculis constrinxerunt, atque inter verberandum clamabant, dicentes: Tolle magum hunc, Imperator, tolle antequam nostra nobis ingrata sit vita.

[23] Hoc igitur tumultu concitato, & fama per urbem brevi discurrente, Imperatrix Alexandra, cum fidem Christi occulte apud se habere amplius non posset, [Alexandra Imperatrice palam suam fidem testante,] celeriter prodiit: & cum populi tumultum, & S. Georgium procul vinctum

cerneret, nec ad eum præ turba posset accedere, clamans dicebat: Deus Georgii, adiuva me, quoniam tu es Deus solus omnipotens. Sedato autem populi tumultu, Diocletianus sisti coram se virum sanctum jussit: & insanienti similis, ad ipsum; Tales, inquit, benignitati meæ gratias rependis, fœdissimum caput? Sic diis sacrificare solitus es? Cui S. Georgius: Ita plane sacrificare didici, Imperator insane, & sic deos tuos colere novi. Erubescere in futurum diis talibus acceptam referre salutem tuam, [commotior Diocletianus] qui ne sibi ipsi quidem afferre opem possunt, neque servorum Christi præsentiam valent sustinere. Dum vero hæc diceret Sanctus, ecce Imperatrix quoque in medium procedens, eundem, quem antea, coram Imperatore sermonem habebat: & ad pedes viri sancti procumbens, tyranni dementiam conspuebat, maledictis deos lacerans eorumque cultores detestans. Imperator autem ad, eam: Quid tibi, inquit, accidit, Alexandra, quod huic mago & incantatori adhærens impudenter, a diis recessisti? Illa vero acriter eum repellens, ne dignum quidem censuit responsione.

[24] Impius igitur Diocletianus furore repletus, de Santo nihil amplius quæsit, sed ab eo irritatus, [sententiam fert in ipsam & S. Georgium:] &, dum sacrificium sperat, subversos ab eo deos suos videns, ab hæc Imperatricis mutationem animadvertens, atque illius causa iracundior factus, hujusmodi sententiam contra Martyrem & nobilissimam tulit Imperatricem: Pessimum Georgium, Galilæum sese dicentem, & qui tum deos, tum meipsum conviciis multis affecit, denique qui contra illos arte sua magica usus est, cum Alexandra Imperatrice, veneficiis ejus corrupta, & pari dementia in deos ipsos quoque maledicta conjiciente, gladio obtruncari jubeo. Statim igitur ii, quibus hoc demandatum erat, [illa placida expirat:] Sanctum corripientes, vinctum extra civitatem ducebant. Tracta pariter cum eo nobilissima est Imperatrix: quæ dum abduceretur, alacri animo orabat,

labra movens, & oculos in cælum frequentissime intendens. At ubi ad locum quemdam venit, ut consisteret petivit. Iisque qui trahebant, concedentibus, super vestem sedens, & caput in genua reclinans, spiritum Deo reddidit. Hujus rei causa Martyr Christi Georgius Deum extollens, ipsique gratias agens, multa cum alacritate incedebat, orans, ut suus quoque cursus recte perficeretur: & postquam ad præfinitum locum appropinquavit, clara sic voce precatus est:

[25] Benedictus es, Domine Deus meus, quoniam dentibus quærentium me lacerandum non permisisti, [Georgius capite plectitur.] nec inimicos meos super me lætos esse passus es: & quoniam liberasti animam meam ut passerem, de laqueo venantium. Nunc item exaudi me, Domine, & mihi assiste servo tuo in hac ultima hora mea: & libera animam meam ab iniquitate aërei hostis maximi, & spirituum ejus: & ea quæ isti in me per ignorantiam peccaverunt, ne veritas crimini; sed veniam tuam & amorem tuum illis concede, ut & ipsis contingat pars in regno tuo cum electis tuis. Suscipe etiam animam meam cum iis, qui a saeculo placiti sunt tibi, obliviscens omnium, quæ tam scienter quam inscienter commissi. Recordare, Domine, invocantium magnificum nomen tuum, quoniam benedictus es & gloriosus in saecula, Amen. Hæc deprecatus, & cum gaudio collum proferens, beato capite detruncatus est, vigesimotertio die Aprilis, egregiam confessionem perficiens, cursum consummans, fidem servans impollutam. Unde etiam coronam justitiæ repositam habet.

[26] Hæc sunt maximorum certaminum strenui victoris trophæa: hæc sunt contra inimicos ejus præclara facinora & prælia gloriosa. Qui sic certaverit, incorrupta atque æterna corona donabitur. Cujus precibus vtinam nos quoque partem justorum assequamur, collocemurque ad

dexteram Domini nostri Jesu Christi, cui gloria, honor & adoratio in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

Colitur autem hæc S. Alexandra die 21 Aprilis, ubi pluribus de ea egimus. Pseudo-Pasicrati attributa Acta, revera capite minutam fingunt. Acta S. Georgii Græca recentiora complures Patricias aliasque illustres feminas, Alexandræ exemplo Christi fidem amplexas dicunt.